

**De oratione dominica, quae est tertium caput  
catecheseos christiana.**

Quid continet oratio dominica?

Continet optimam et perfectissimam formam precandi praescriptam a [90:] Filio Dei domino nostro Iesu Christo, qua et breuitate admirabili et ordine sapientissimo complexus est omnes res, quas a Deo petere debemus. 5

Quod est discrimen verae inuocationis in ecclesia et aliarum impiarum  
inuocationum?

Duae sunt praecipuae differentiae: altera de essentia Dei, altera de voluntate. Primum enim ethnici et alij impij negant hunc esse Deum, qui est aeternus 10 Pater, Filius et Spiritus sanctus. Deinde ignorant promissiones et mediato-rem. Ecclesia vero alloquitur verum Deum patefactum illustribus testimonijis et agnoscit eum sicut se patefecit. Scit etiam promissiones et agnoscit media-torem et scit Deum velle inuocari et exaudire fiducia mediatoris, sicut ipse dominus inquit: „Quidquid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.“<sup>173</sup> 15

[91:] Quae requiruntur ad veram inuocationem?

In omni inuocatione necessaria est praecipue sex rerum consideratio: I. Cogitandum est, quid et quem Deum et vbi patefactum inuoces, Ioh. 4: „Nos adoramus, quod scimus.“<sup>174</sup> II. Considerandum est praeceptum de inuocatione vt Psal. 50: „Inuoca me in die tribulationis.“<sup>175</sup> III. Singuli cogitent, an vere sint conuersi ad Deum. Nam sine conuersione precatio non est efficax, Joh. 9: „Peccatores Deus non exaudit.“<sup>176</sup> IIII. Cogitandae sunt promissiones de exauditione, Matth. 7: „Petite et dabitur vobis.“<sup>177</sup> Luc. 11: „Quanto magis Pater vester dabit Spiritum sanctum potentibus.“<sup>178</sup> V. Excitanda est fides,

---

<sup>173</sup> Joh 16,23.

<sup>174</sup> Joh 4,22.

<sup>175</sup> Ps 50,15.

<sup>176</sup> Joh 9,31.

<sup>177</sup> Mt 7,7.

<sup>178</sup> Lk 11,13.